

Ecce convertimur ad gentes.

Léctio Actuum Apostolorum

13, 14. 43-52

In diébus illis:

¹⁴ Pertranseúntes Paulus et Bárnabas a Perge
venérunt Antiochíam Pisídiæ,
et ingressi synagógam die sabbatorum sedérunt.

[15-42]

⁴³ Et secúti sunt multi Iudæórum
et coléntium proselytórum
eos, qui loquéntes suadébant eis,
ut permanérent in grátia Dei.

⁴⁴ Sequénti vero sábbato
pæne univérsa cívitas convénit audíre verbum Dómini.

⁴⁵ Vidéntes autem turbas Iudæi, repléti sunt zelo;
et contradicébant his, quæ a Paulo dicebantur,
blasphemántes.

⁴⁶ Tunc audénter Paulus et Bárnabas dixérunt:
«Vobis oportébat primum loqui verbum Dei;
sed quóniam repéllitis illud
et indignos vos iudicátis æternæ vitæ,
ecce convértimur ad gentes.

⁴⁷ Sic enim præcépit nobis Dóminus:
“Pósui te in lumen géntium,
ut sis in salútem usque ad extrémum terræ”».

⁴⁸ Audiéntes autem gentes
gaudébant et glorificábant verbum Dómini,
et credidérunt,
quotquot erant præordináti ad vitam æternam;

⁴⁹ ferebátur autem verbum Dómini
per univérsam regiónem.

- ⁵⁰ Iudæi autem concitavérunt
honéstas inter coléntes mulíeres et primos civitátis
et excitavérunt persecutiónem in Paulum et Bárnabam
et eiecérunt eos de fínibus suis.
- ⁵¹ At illi, excússo púlvere pedum in eos,
venérunt Icónium;
- ⁵² discípuli quoque replebántur gáudio et Spíritu Sancto.
Verbum Dómini.